



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCX. Christus Petro Cœli Claves pollicetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

de Christo æstimationem habeas, & quid interroga-  
tus ipsi posses, ac deberes respondere. Scilicet Tu  
es Christus Filius DEI Vivi, Dominus meus, & DEVS  
meus, Redemptor, Pastor Bonus, Dux, Magister,  
Pater, Frater, Amicus fidelissimus, Hostia & Sacer-  
dos, Medicus Animarum, Consolator, Panis Vitæ,  
Judex vivorum, & mortuorum. &c. Age, ut his  
omnibus titulis convenientes Affectus voluntatis  
correspondeant, Honor, Amor, Fiducia, Metus &c.

## MEDITATIO CCCX.

*Christus Petro Cæli Claves pollicetur.*

Matth. 16. v. 17.

**PUNCTUM I.** Respondens autem IESVS, dixit ei: Bea-  
tus es Simon, Bar Jona (id est, filius Joannis) quia ca-  
ro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cæ-  
lis est. Matth. 16. v. 17. Considera, quænam illæ sint  
Veritates, quas caro & sanguis revelat; imò quàm  
alienæ sint à Veritate, quæ testimonio carnis & san-  
guinis nituntur. Caro enim & sanguis non nisi  
mollia, sensibilia, transitoria, vilia, ac infima novit,  
& ea fallacia bona pro veris habet: DEVS autem altio-  
res, meliores, & firmiores Veritates revelat, quæ  
adversantur carni & sanguini. Nondum tamen Bea-  
ti, qui audiunt Verbum DEI, revelantis has Verita-  
tes; sed tunc tandem sunt Beati, quando etiam cu-  
stodiunt illud.

**PUNCT. II.** Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & su-  
per hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi  
non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo Claves Regni

O 1

Calo-

*Cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis. Matth. v. 18. Ecce quantum præmium sinceræ confessioni Christus rependat! Quod enim antehac Christus Petro promiserat, teste Joanne c. i. v. 42. Tu vocaberis Cephæ, id modò implet, imponit ipsi Nomen Cephæ, sive Petri: ne autem hoc Nomen frustra gerat, designat illum pro suo Successore & Vicario, cujus Auctoritati & Potestati innitatur universa Christi Ecclesia, veluti fundamento innititur totum ædificium: Potestatem verò promittit tantam, ut, quidquid ipse ligaverit, vel solverit in terra, hoc Christus ratum habeat in Cælis. Quantum ergo Præmium retribuet Christus ei, qui non solo verbo, sed opere, imitatione, & executione Doctrinæ, Mandatorum, & Consiliorum, imò Morte ipsa (sicut deinde Petrus sub Nerone) vel saltem continua suâ Mortificatione Christum confitetur, & sedulò cavet, ne sit inter illos, de quibus S. Paulus ad Tit. i. v. 16. Confitentur, se nôsse DEVM, factis autem negant: cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne Opus bonum reprobi. Considera etiam, si Christus vicissim tibi diceret, quis sis, manifestando tibi statum Animæ tuæ, quid tunc esset dicturus? an non meritò diceret: Scio opera tua: quia nomen habes, quòd vivas, & mortuus es. Apoc. 3. v. 1. Hoc autem non est, esse Petram, sed arundinem vento agitatam, inconstantem, & arefactam.*

**PUNCT. III.** *Tunc præcepit Discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset JESVS Christus. v. 2. Ne scilicet, qui hanc attestationem suam brevì ipso facto in Christi Morte per fugam & desertionem erant retractaturi, futuræ*

futurae suae attestationi post Christi Mortem fidem derogarent. Unde discimus etiam utilia ad Proximi Salutem non nisi opportuno tempore proferenda esse: item credita nobis arcana non ante tempus manifestanda, silentiique fidem petenti servandam esse. Similiter optare debemus, ne quam alij de nobis sublimem habent æstimationem, apud alios divulgent.

## MEDITATIO CCCXI.

*Christus Passionem suam Discipulis  
prænunciat.*

Matth. 16. v. 21. Marc. 8. v. 31. Luc. 9. v. 22.

**P**UNCTUM I. Exinde capit *JESVS* ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Matth. 16. v. 21. Supposita professione, & Fide Discipulorum, quòd ipse esset Filius DEI, voluit Christus ostendere illis, quanta esset passurus, & quòd tantam Dignitatem, ac Excellentiam Filij DEI non ob alium finem sustineret, quam ut multa, & indigna pateretur. Sic honores, & honorata officia non ob alium finem à nobis admitti ac suscipi debent, quam ut plus adversitatum & laborum sustineamus. Hoc modo S. Paulus 1. ad Timoth. 3. v. 1. dixit: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum Opus desiderat.* Nempe qui non honorem, sed muneris molestias, cruces, labores desiderat. Voluit etiam Christus Discipulis suis considerandum proponere, quantus ipse esset, & quanta tamen passurus esset, ut